



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

7 Quaedam quaestiones de Vsura diluu[n]tur[.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

Quædam quæstiones de usura
soluuntur.

CAPVT VII.

QUÆRITVR primo inter Doctores, An g. Titius possit licite mutare Caio, ea conditione, vt Caius sese obliget ad remutuandum Titio, quando indiget? Quod est querere, An mutator licite possit deducere in pactum, eam iuris naturalis obligationem, qua ex honestate tenemur benefacere nostris benefactoribus? Duz sunt opiniones: Prima asserit, id esse licitum, dummodo solum deducatur in pactum ea tantum obligatio naturalis; quæ antea erat, nimirum benefacendi suo benefactori. Sic Angel. *verb. Usura. l. §. 4. & Adrian. in 4. de Restitutione, questione, quæ incipit. Sed dubium videtur. §. Sed contra istud, Maior, eod. lib. distinct. 15. quest. 29. ad 2. Almainus, eod. lib. §. distinct. quest. 2. Card. & Ioan. Anania, in cap. Consultat. de Usur. Laur. de Rodolphis in tract. de Usur. par. 2. opposit. 2. & probant, quia omnis obligatio, & onus, quod ex natura inest rei, potest in pactum deduci: sed mutuatarius iure naturali ex honestate, & gratitudine tenetur mutuatori benefacere, ergo absque usura potest mutuator hanc iuris naturalis obligationem in pactum deducere. Item à simili: sicut nulla est simonia, si beneficium Ecclesiasticum Titio conferatur ex pacto, vt se obliget Titius ad onera, quæ sunt annexa ipsi beneficio: sic etiam non est usura, si tibi mutuum eo pacto, vt tu mihi remutues, sicut teneris iure naturali mihi benefacere.*

Altera est opinio, asserens id pactum esse usurarium. Ita S. Thom. 2. 2. quest. 78. art. 2. ad 2. §. 4. & Caiet. *ibid.* Sotus in 6. lib. de Iustitia quest. 1. art. 2. ad 1. Couar. lib. 3. *variar. resol. cap. 2. num. 3. Gabriel. in 4. distinct. 15. quest. 11. art. 1. Conrad. de contract. quest. 36. in exemplo 7. Medina, in tract. de Usura. quest. 1. §. 4. ad 1. principale. Siluest. *verb. Usura. l. quest. 2. Glossa, communiter recepta, in cap. Si saeneraueris. l. 4. quest. 3.* & hæc opinio est multo vtorior, quia obligatio civilis ad remunerandum, est pecunia æstimabilis: ergo qui huiusmodi obligationem deducit in pactum, ex vi mutui usuram committit, & patet à simili. Sicut enim est usura, si Titius mutuet Caio, & peccat ab eo obligationem aliquam firmiter, vel minus à lingua, vel ab obsequio, videlicet, vt Caius filium ipsius Titij in literis instituat, vel vt pro ipso Titio fideiubeat, vel iter aliquod suscipiat, sic etiam est usura, si ego tibi mutuum cum ea obligatione, vt tu mihi remutues, cum ego indigero. Est tamen notandum, nullum esse peccatum, si mutuator, à mutuario petat, vt sibi remutuet ea sola obligatione, qua iure gratitudinis ex honestate tenetur benefacere benefactori: tunc enim nulla civilis alia obligatio ab eo petitur præter eam, quam ipse habet ex iure naturali: & hoc est quod prima opinio cõtendit, nec in eo secunda opinio dissentit.*

Quæres, an sit usura, si Titius mutuet ea obligatione, vt Caius ipsi etiam Titio remutuet eodem tempore, quo Titius ipsi mutuat. v. g. mutuat nunc Titius Caio certam pecunie quantitatem, qua indiget Caius, ex pacto, vt Caius mutuet etiam nunc ipsi Titio certos frumenti modios, quibus indiget Titius? Respondetur, esse usuram, si obligatio, qua se obligat Caius mutuatarius, sit civilis; quia est pecunia æstimabilis huiusmodi obligatio, vt paulò ante diximus: & parum, aut nihil refert obliget se Caius ad remunerandum in futurum, an ad præsens; quia ad hoc, vt sit usura, satis est, sit obligatio civilis: sicut si mihi mutues ex pacto, vt ego pro te aliquid faciam eodem tempore, quo ego à te mutuum accipio.

Ex dictis sequitur, esse usuram in casibus sequentibus, si Titius mutuet Regi, Principi, vel Communitati eo pacto,

vt concedatur sibi immunitas à tributis, vel Gabellis soluendis in perpetuum, vel ad tempus, nimirum durante mutuo. Item, si mutuet, vt sibi conferatur aliquod officium, vel ius ad aliquid. Item si ego tibi mutuem ex pacto, vt pro me depreceris Regem, vel Principem, Papam, vel Episcopum. Item si Titius mutuet ex pacto, vt foemina suæ libidini satisfaciatur. Quibus casibus præter usuram, aliquando admittetur etiam simonia, & aliquando turpis alius actus.

Secundo quæritur, An sit usura, si Titius mutuet Caio ex pacto, vt veniat ad molendum in suo molendino, vel ad emendum sua officina; vel taberna; vel si mutuet scholastico, vt suam scholam frequentet? De hoc sunt duæ opiniones. Et prima asserit esse usuram; quia à Caio mutuatario exigitur vitra fortem obligatio civilis aliquid faciendi, quæ est pecunia æstimabilis. Ita sentit Caietanus, Sotus, Nauarrus *locis supra citatis. Siluest. verb. Usura. l. quest. 7. Tabiena, eod. verb. Usura. l. num. 3.* vbi citat Caldernum, Ioannem de Lignano, & alios: Immo hæc videtur opinio communis inter Doctores.

Secunda opinio negat esse usuram. Adrian. *in 4. quest. quæ incipit. Sed dubium videtur. §. Iuxta prædicta disquirendum, Angelus, verb. Usura, l. num. 6. Rosella, eod. verb. num. 11. Gabriel. in 4. distinct. 15. quest. 11. art. 3. dub. 1. Maior eod. lib. §. distinct. quest. 29. arg. 3. Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 7. §. 8.* & probant, quia nihil aliud exigitur à mutuario, nisi quod iusto pretio, vel pensione consueta veniat ad emendum, vel molendum, vel frequentandam scholam, & mutuator Titius nihil lucri accipit præter fortem.

Sed reuera prima opinio est vtorior; quia à mutuario exigitur præter fortem obligatio civilis, quæ est pecunia æstimabilis, & mutuator eam obligationem præter fortem luatur.

Nihilominus tamen duæ istæ opiniones facile conciliari possunt, ita, vt secunda locum habeat in hoc sensu: Mutuo tibi iuram dum venies ad molendum meum, vel dum emes ex mea officina, vel dum frequentabis meam Scholam. Aliud enim est dicere, Mutuo tibi hac lege, vt venias, vel emas, vel frequentes; in hoc enim est usura, vt recte ait; prima opinio; quia mutuario imponitur onus ratione mutui, & mutuatarius amittit ex parte suam libertatem molendi, vel audiendi lectiones vbicunque voluerit.

Aliud vero est dicere: Mutuo tibi toto eo tempore, quo frequentaueris meam Scholam, officinam, vel molendinum; in hoc enim libertas non admittit mutuario, cui liberum est, frequentare si velit, &c.

Tertio quæritur, An sit usura, si Titius mutuet Caio medico, vel aduocato ea conditione, vt Caius domesticos Titij, quando ægrotauerint, curet iusto tamen, & consueto stipendio: Item, si mutuet Caio aduocato, vt litem, & causam Titij, quanto habuerit, defendat iusto, & solito stipendio? Item, si Titius mutuet Caio rustico, vt suo tempore agrum Titij colat, vel segetes metat, vel vites amparet, vel vt vineam fodiat iusta mercede, qua ceteri rustici solent id facere? De hoc dubio vide, quæ dicimus in tract. de Mutuo cap. 8. dub. 1.

Quarto quæritur, An sit usura, si Titius det pecunias, vel mutuet Caio rustico indigenti, & petat ab eo, vt tempore messis, & frumenti colligendi, idem Caius rusticus vendat Titio frumentum, vel oleum, vel aliquid aliud terræ fructum, quem Caius colliget suo tempore, dummodo tamen Titius accipiat, & emat iusto pretio, quo tunc communiter æstimabitur frumentum, vel fructus? Hoc etiam dubium soluimus, eod. tract. §. cap. 7. quest. 2.

Quinto quæritur, An sit usura, si Titius mutuet frumentum, oleum, vel vinum, vt tantundem sibi reddatur in eadem specie, vel pondere, vel mensura? Sotus lib. 6. de Iustitia, quest. 1. art. 2. non plene dubium hoc soluit: onus diluit Medina *de rebus restituen. quest. 87. §. Et itaq.*

in summa. Docet autem communis opinio; Primum, si nõ statuitur tempus solutionis, potest mutuator exigere mutuum, quando videt plus valere frumentum, oleum, vel vinum, vel numisma: nam in eo casu mutuatarius sibi impu- ter, quod non prius soluerit, cum commodè potuerit: dum- modo tamen mutuator non impediit antea fieri solutio- nem: si mutuatarius prius solvere voluisset. Secundo, si cer- tum tempus solutionis statuitur, tunc, vel est æquè du- bium, plus, minusve valiturum numisma, frumentum, oleum, vel vinum tempore solutionis, quam æstimatur tempore mutationis; & tunc usura non est, si frumentum, oleum, vel vinum mutuetur eo pacto, vt tantundem reddat in eadem specie, pondere, vel mensura; quia mutuator exponit se periculo perendi aliquid, aut saltem nihil lu- crandi: & ratione huius periculi, nihil mirum est, si mu- tuatarius etiam se exponat periculo soluendi ultra fortem. Tertio, si certum est tempore solutionis futuræ plus valuta- ra frumentum, vinum, vel oleum; vel erat seruaturus mu- tuans illa, vsque ad id tempus, vel non erat seruaturus: Si erat seruaturus, tunc non est usura, si petat, vt tantundem in eadem specie sibi frumenti reddatur, dummodo ta- men non adimat mutuatario libertatem soluendi antea, si voluerit. Si vero non erat seruaturus, tunc usura est pe- tere, vt sibi tantundem frumenti, vel olei reddatur; quia ex mutuo petit lucrum, nimirum incrementum pretij in frumento, vel oleo, quod alioqui non erat seruaturus. Sic Siluester *verb. Usura 8. quæst. 14.* Angelus *eodem verb. 1. num. 36. & num. 76.* Tabiena, *eodem 15. num. 5. & 6.* vbi citat Pisanam, Raynerium, Abbatem, & B. Anton- num. Sic etiam Nauar. *cap. 17. num. 219. & 224.* Gabriel *in 4. distinct. 15. quæst. 11. art. 2.* Medina *de Rebus restit. quæst. 38. 6.* Est itaq; in summa, in secundo nodo, & in 3. Corollario.

Sexto quæritur, Quid sit dicendum, quando frumen- tum, vel oleum est carus; licetene possum ego dare Caio rustico æstimatum pretio, quod nunc valet, vt postea reddat frumentum, vel oleum iuxta pretium, quo nunc æstimatur? Respondetur, esse licitum; quia huiusmodi contractus est venditio frumenti, vel olei pretio præsen- te, & facta est gratia rustico; quia differtur pretij solutio in futurum tempus. Ita Siluester *in verbo Usura, 1. quæst. 16.* Conradus, *quæst. 38. concl. 4.* Nauar. *cap. 17. num. 225.* & Siluest. citat Archid. & Hugon. Sic etiam B. Anton. *2. par. tit. 1. cap. 7. §. 13.*

Septimo quæritur, An quando timeo frumentum, vel oleum minus valiturum, possum licite mutare Caio, vt red- dat mihi iuxta pretium, quod nunc æstimatur? Respondeo: si re vera huiusmodi contractus sit mutuum, illicitum est pactum: at vero si sit contractus venditionis, tunc licitum est pactum, quia venditur frumentum, vel oleum pre- tio præsen- te, & currente, & differtur solutio pretij ad futu- rum tempus.

Octauo quæritur, An sit usura mutare certam pecuniam summam, pro recipienda simili, tempore, quo plus æsti- mabitur illa pecunia? Hoc dubium diluimus in *Tract. de Contractibus, de Mutuo agentes, cap. 4. quæst. 2.* vbi duas proposuimus sententias, & ostendimus vtrillarum esse veritatis propinquior, & colligitur ex ijs, quæ diximus in *hoc cap. quæst. 5.*

Nono quæritur, An Titius habens certam pecuniam, quam timeret in futurum minus valituram, eo quod proba- biliter, vel certo credat eius æstimationem minuendam fore lege Principis, vel statuto Communis, possit licite eam mutare Caio ex pacto, vt eam ipsi reddat Caius in eodem pretio, quo nunc æstimatur? Respondetur ex commu- ni sententia omnium, esse usuram; quia lucrum exigit à mutuatario; nisi quando eam pecuniam esset statim con- sumpturus. Titius, hoc est, nisi esset empturus ea pecunia, rem aliquam, quam posset vendere tantundem, post dimi- nutam pecuniæ æstimationem, quanti nunc æstimatur pecunia, quam mutuat: tunc enim non erit usura; quia ratio- ne damni emergentis potest illud exigere. Sic Siluester *in*

verb. Usura, 1. quæst. 15. Angelus, *eodem verbo, num. 76.* Tabien. *eodem verb. 1. quæst. 9.* Gabriel, *in 4. dist. 15. quæst. 11. art. 3. dub. 6.* Nam etiam mihi licitum v. g. mutare pecuniam; quam video apud me perituram: sic etiam licite vendendo rem, quam certo noui mihi succipiendam. Siluester, Tabiena, vbi supra.

Decimo quæritur, An sit usura, si Titius mutuet fru- mentum, vel oleum vetus, vt reddatur sibi nouum? Respon- detur, ex communi sententia, si certo, & probabiliter nouit frumentum, vel oleum nouum melius, & maioris pretij fu- turum, tunc usura est, si libertatem soluendi quando libue- rit, adimat mutuator, & obligationem restituendi nouum imponat. Si tamen mutuet ideo, ne suum corrumpatur, & tanti, vel plus æstimatur vetus, quando mutuat, tunc non est usura. Siluester, *verb. Usura, 1. quæst. 17.* Angelus, *eodem verb. 4. quæst. 7. 4.* Nauar. *cap. 17. num. 224.* Item, si Titius mutuet, cum tamen statim venditurus esset suum frumentum vetus, non est usura illud lucrum exigere, quod alioqui Titius percepisset, ex venditione sui frumenti, vel olei veteris: nam ratione damni emergentis, illud lucrum potest exigere. Nauar. *loco supra citato.*

Vndecimo quæritur, An sit usura, si Titius det Verbi gratia Caio decem mensuras panni, pro alijs totidem in futurum accipiendis? Respondetur, non esse usuram, dum- modo pannus recipiendus, non sit melior, siue maioris pretij. In hoc enim contractu non est mutuum, sed permutatio licita vnus rei cum alia. Nam licet mutuum consi- lliat in rebus, quæ mensurantur; mensura tamen est mo- dius tritici, vel sterius rei similibus aridæ; vel est etiam am- phora vini, & aliæ mensuræ similes liquorum. Ita Siluest. *verb. Usura, 1. quæst. 13.* vbi etiam citat alios Auctores pro hac sententia.

Duodecimo quæritur, An sit usura, si Titius mutuet decem in pecunia, & alia decem in rebus sibi debitis, du- biijs tamen, vel incertis, vel male recuperabilibus, vel in mercibus, male vendibilibus, cum tamen Caius mu- tuatarius petierit à Titio mutuo viginti? Respondetur, ex communi sententia esse usuram; quia Titius lucrum exi- git ex mutuo à Caio mutuatario, & ei onus imponit, ni- mirum, vt mutui partem accipiat in mercibus, vel rebus, quas non vellet. Siluest. *verb. Usura, 1. quæst. 6.* Ang. *eod. verb. 1. num. 6.*

Decimo tertio quæritur, An Titius possit mutare Caio pecuniam, animo & intentione, eius amicitiam & beneuo- lentiam conciliandi? Respondetur, nullatenus esse usuram, quia amicitia, & beneuolentia non est lucrum pecunia æsti- mabile. Sic Angelus, Siluester, Caietanus, Medina, Sorus, Nauar. *loco supra citato.* Sed difficultas, An possit Ti- tius mutuo Caio, deducere in pactura eius amicitiam, & beneuolentiam? Quidam aiunt, non posse; quia tunc ex obligatione iuris naturalis, fieret obligatio eius, quæ est lucrum pecunia æstimabile. At Sorus *lib. 6. de Iustitia, quæst. 1. art. 2.* docet nullam esse hic usuram; quia ami- citia, beneuolentia, & gratitudo non sunt lucra pecunia æstimabilia: ergo non est usura, licet ego tibi mutua co pacto, vt sis mihi amicus, gratus, vel beneuolus immo etiam, vt ait Sorus, licet mutuem co pacto, vt mihi exhibeas signa amoris, & beneuolentiæ inter amicos debita, & consueta.

Decimo quarto quæritur, An citra usuram Titius mu- tuando Caio, possit ab eo petere remissionem iniuriæ, qua eum offendit? Difficultas consistit in duobus; quia duo possunt intelligi per remissionem iniuriæ; nimirum gratiæ, & beneuolentiæ reconciliatio, insuper remissio pe- næ debitæ pro iniuria. B. Antoninus, Sorus, Siluester, *verb. Usura, 2. quæst. 11.* absolute respondent, posse Ti- tum exigere remissionem iniuriæ ex mutuo, quia reconci- liatio gratiæ non est lucrum pecunia æstimabile. Sed Nauar. *cap. 17. num. 238.* ait, cum distinctione, licite posse Titium exigere gratiæ, & beneuolentiæ reconciliatiõnem, non ta- men remissionem penæ pro iniuria debitæ; vt remissio- nem damni per iniuriam illati, nisi penæ aut damnum tan-

cum debeat post sententiam iudicis; tunc enim tuta conscientia potest Titius exigere vtramque remissionem; quia non est debita in conscientia ante sententiam iudicis. Sed dicendum breuiter est. si damni restitutio reuera est debita ex iustitia, tunc nequit ex mutuo in pactum deduci remissio damni; quia alioqui exigeretur lucrum vi mutui. Quia vero poena non debetur nisi post sententiam iudicis, sicut licet Titius potest exigere reconciliationem gratiae, sic etiam potest exigere remissionem poenae, potius ex vi amicitiae, quam ex iustitia.

Decimoquinto quaeritur, An sit usura, si mutuator ex mutuo exigit ultra fortem, vt sibi soluat aliquid aliud, quod debet alioqui ipsi mutuatarius. Respondetur ex communi sententia, si mutuatarius debeat ex iustitia, tunc licet potest mutuator exigere; quia tunc non exigitur illud vi mutui, sed vi iustitiae. Verbi gratia: si mutuum tibi decem, vt mihi soluas alia decem, quae mihi ex iustitia debes, quia ea mihi antea surripueras, vel ea apud te ego deposueram. Medina de reb. per usur. acquisitis, qu. 7. Sorus lib. 1. de iust. qu. 1. art. 2. Si vero mutuatarius tantum debeat lege caritatis, non iustitiae, tunc usura est mutuae ex pacto, vt mutuatarius illud debitum soluat; quia vi mutui imponitur mutuatario praeter fortem, cuius alia obligatio soluendi debetur, ad quod lege tantum caritatis tenebatur. V. g. usura esset, si ego morbo laborans mutuaarem Titio medico, vt mihi mederetur ex pacto, cum non sit alius, qui velit, aut possit id praestare. Item si mutuum tibi ex pacto, vt me ab iniuria mihi parata defendas, cum non sit alius, qui velit, aut possit me tueri. Medina de reb. per usur. acquisitis, qu. 1. Intelliguntur ista duo, quae prouit Medina, quando medicus non tenetur me curare ex officio, vel iustitia, & quando alius non tenetur me defendere ex officio, vel iustitia. Sequitur ex dictis, posse me licet, si tibi mutuum, deducere in pactum, vt desistas à vexatione, qua me vexas contra iustitiam; quia nihil aliud est, quam redimere iniquam meam vexationem; si tamen ius habes me vexandi, tunc non possum licet in pactum deducere ex mutuo, vt ab ea desistas vexatione.

An Montes, qui communiter in Italia dicuntur Pietatis, sint liberi, & immunes ab omni labe usurae.

CAPVT VIII

DE hac re agunt Auctores, qui sequuntur: Thomas Boninignus, Iacobus Naclantus, Sor. lib. 6. de iust. qu. 1. art. 6. Nauar. c. 17. nu. 217. Medina. tract. de reb. per usur. acquis. qu. 10. Siluest. verb. usura, s. q. 4. Laurent. de Rodulphis tract. de usuris, p. 3. nu. 12. Item de eadem re alium scripsit Caietanus, qui existat inter eius opuscula tom. 2. tract. 6.

Primo notandum, praxim huiusmodi Montium esse frequentem. Titius v. g. princeps, vel loci dominus, vel potens opibus, vel aliqua Communitas ex arario publico, vel elemosynis, & largitionibus priuatorum ciuium, donat, aut relinquit ex testamento certam pecuniam summam certo euidam loco, vel alteri communitati, ea lege, vt ex illa pecuniarum summa, mutuum detur pauperibus, & quibuscumque indigentibus, sufficienti, & certo aliquo pignore accepto à singulis mutuatariis: & ea etiam lege, vt ipsi mutuatarij exiguum aliquod lucrum soluant singulis mensibus pro ratione quantitatis mutui; quod lucrum accipitur pro stipendio ministrorum Montis, qui habent curam custodiendi Montem, & accipiendi pignora, conseruandi, & restituendi pignora, tempore opportuno.

Secundo notandum, in praxi, huiusmodi Montium pietatis esse leges sequentes: Prima est, vt ex pecunia Montis, qui est semper certus quidam pecuniarum cumulus, detur mutuo singulis indigentibus vique ad decem auteos ad an-

num soluendos, vel ad summum intra duos annos.

Secunda lex est, vt mutuatarius der Monti idonea pignora, quae tranfacto tempore statuto; ad solutionem mutui statim vendantur, si mutuatarius non soluat: vt ex pretio pignoris, soluantur Monti pecunia debita, & reliquum domino pignoris restitatur.

Tertia lex est, vt mutuatarij singuli soluant ultra fortem certum lucrum singulis mensibus pro ratione pecuniae mutuae; vt ex hoc lucro soluat stipendium ministris Montis, qui curam habeat scribendi quid cuique mutuo detur, & accipiendi à mutuatariis pignora, conseruandi, restituendi, & vendendi. Item, vt ex eo lucro soluendo, soluantur ceterae expensae necessariae pro custodia, & conseruatione Montis. Nam domus conducitur ad pecunias Montis, & pignora mutuatariorum retinenda. Itē emitur arca, qua pecuniae asseruantur. Item conficiuntur libri, in quibus omnia scribuntur.

Tertio, huiusmodi Montes pietatis aliquando constituuntur ex bonis donatis, siue relictis ab aliquo Principe, vel Domino, vel homine diuite; aliquando ab aliqua communitate: & hoc vel ex elemosynis, & contributione ciuium, vel ex bonis, siue arario publico ipsius Communitatis.

His praenotatis, quaeritur inter Auctores, An huiusmodi Montes, cum tribus suprapositis legibus sint liberi ab omni usura. In hac re Siluest. ait rem esse dubiam. Caietanus loc. cit. asserit non esse liberos, quia tertia supraposita lex est usutaria: eandem sententiam securus est postea Sorus loco citato. Vnde ambo contendunt, Montes Pietatis, vt licet sint, debere constitui absque vilo onere imposito mutuatariis, vt soluant ultra fortem aliquid pro stipendio ministrorum Montis. Aiuunt enim hoc onus pertinere ad ipsum Montem Pietatis. Quod si illis obijciat, ex hoc onere necessario sequi, vt Mons ipse aliquando minuat, immo aliquando in totum absumatur: quod cedit in damnum pauperum, & aliorum mutuo indigentium. Respondent, eum, qui Montem constituit, si velit, vt Mons ipse in perpetuum duret, relinquere debere aliquid ultra Montem pro expensis, & custodia ipsius Montis.

Probant autem esse usurarium, si mutuatarij aliquid ultra fortem soluere conentur. Primo, quia usura est, si mutuator aliquid luen ultra fortem exigit. Secundo, quia alioqui cuiuscumque priuato liceret certam pecuniam deputare ad mutuandum pauperibus, cum pacto, & onere, vt ipsi pauperes aliquid soluant pro conseruatione illius pecuniae. Tertio, quia mutuator eo ipso, quod mutuat, tenetur gratis illud ipsum officium praestare: ergo si Montem constituit ad mutuandum pauperibus, tenetur eum gratis constituere.

Secunda opinio asserit, Montes cum suprapositis legibus, & conditionibus esse liberos ab omni labe usurae: quae opinio est communis, & vera. Eam defendunt Nauar. Antonin. Medina. & ceteri superius nominati Auctores. Et ratio huic fauet manifesta: quia licet, quod mutuatarij soluunt, ex vi mutui non soluitur, sed propter expensas ipsius Montis, & consequenter soluitur ratione damni emergentis: alioqui enim Mons ipse, vel ex parte, vel in totum periret. Cum vero obijciat: is, qui Montem constituit, tenetur aliquid relinquere pro istis expensis. Contra hoc est argumentum; quoniam fundator Montis simpliciter donatione fecit totius pecuniae, quam in Monte reliquit; nec amplius, semel donatione facta, dominium, vel ius aliquod habet pecuniae donatae: ergo ad illum non pertinet montem conseruare: Quare necesse est, vt hoc onus pertineat ad ipsos mutuatarios, in quorum bonum Mons est pietatis constitutus, & pro quibus est Mons obligatus: ita vt ius habeant petendi mutuum à Monte. Praeterea Montes isti sunt approbati Romanorum Pontificum Bullis; vt à Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II. vt ait Nauar. & denique in Concil. Lateranen. sub Leone X. Sess. 10. existat Bulla, vbi approbatur. Dices cum Caiet. & Soto, in istis locis, solum approbati Montes pietatis in generali,